

dominus Bartholomeus de Biblio, filius quondam domini Bertrandi de Biblio, per se, heredes et successores suos pactum, compositionem et concordiam habitos et initos inter prudentem virum dominum Symonem archidiaconum Anteradensem, procuratorem et nuntium specialem predicti domini Bartholomei, nomine et pro parte ipsius domini Bartholomei et fratrem Johannem de Walcholt procuratorem et syndicu Hospitalis sancte Marie Theotonicorum, cuius pacti, compositionis et pacti tenor, prout idem dominus archidiaconus asseruit neenon et eidem domino Bartholomeo in quadam carta presente me notario et testibus infrascriptis ostendit in scriptis et legit per omnia, talis est.

In nomine domine. Amen. Per presens publicum instrumentum pateat universis, quod in presencia mei infrascripti notarii publici et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum constitutus in iure coram domino Nicolao archidiacono Accon., officiali curie reverendi patris domini Helye, dei gratia patriarche Jerosolimitani, ministri ecclesie Accon., apostolice sedis legati, prudens vir dominus Symon archidiaconus Anterad., procurator et nuncius nobilis viri domini Bartholomei de Biblio, filii quondam Bertrandi de Biblio, ut constituit ad instantiam et requisitionem domini Johannis de Wacholt, procuratoris et syndici Hospitalis sancte Marie Theotonicorum, factum sibi pro parte domus Hospitalis eiusdem procuratorio nomine pro parte militis supradicti confessus est et in veritate recognovit eundem militem dare debere religiosis viris magistro et conventui dictae domus et domui supradicte ex causa mutui bis. sarrac. mille et quingentos, de quorum bisanciorum solutione facienda magistro predicto et domui sue ad talem pactum, compositionem et concordiam de venerunt predictus nuntius et procurator pro parte et nomine militis supradicti et dictus frater Johannes syndicus et procurator dictae domus pro parte domus eiusdem, videlicet quod dictus miles, heredes et successores sui teneantur et debeant solvere eidem domino magistro aut locum eius tenenti in Accon hinc usque ad nativitatem domini proxime venturam bis. sarrac. auri ducentos ad pondus Accon et deinde quolibet anno bis. sarr. auri trescentos ad idem pondus, videlicet per tres annos in festo nativitatis domini et quarto anno in eodem festo bis. auri sarr. quadragesimos, ita ut hinc usque ad quatuor annos continue numerandos a dicto festo proximo resurrectionis dominice in antea sit eidem magistro et domui sue per dictos terminos de dicta summa integre satisfactum sub pena dupli totius summe predictae eidem domui ab eodem milite et eius heredibus et successoribus componendi eidem domui loco interesse sui, si defecerint in premissis aut aliquo premissorum, que totiens committatur et exigatur cum effectu, quotiens actum fuerit contra premissa vel aliquod eorundem, et pena commissa soluta vel non, nichilominus omnia et singula supradicta, in sua remaneant firmitate, obligando proinde expresse pignori dictae domui omnia bona militia supradicti pro predictis sorte et pena, dans et concedens eidem procuratori pro eadem domo et domui supradicte plenam licentiam et liberam potestatem intrandi,